



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)



S. P A T E R I I

LIBER

DE EXPOSITIONE

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI,

DE DIVERSIS LIBRIS S. GREGORII PAPÆ CONCINNATUS.

P R O O E M I U M.

DUM beatissimi, atque Apostolici Gregorij, Pontificis nostri, vestri quoque, addam nutritoris, dicta sapius lectione percurrerem, avidiusque mihi eis assiduum esse ipsa luculentissima verborum ejus satisfactio suaderet: quiddam in eis reperi sine comparatione potissimum. Dum igitur unius sancti viri, hoc est beati Job' historiam obstruis mysteriorum opacitatibus tectam, sub triplici, id est typica, morali, atque historica studuit expositione discutere, ac repulso ignorantia nubilo, in aperto cunctis luce clarius serena patefactione monstrare: penè totam veteris, ac novi testamenti serierum explanandarum necessitate est coactus exponere. Ubi enim occultæ nimis rei dilucidandæ necessitas immincebat, ne aut obscurum quid apud audientium animos remaneret, aut ipse non liquidissima satisfactioe obscuritatis, interna ad lucem videretur ejicere: non solum disertissimis verborum assertionibus, quod clausum erat, aperuit, sed ita à se prolatis quoque testimonij non intellecta, si inesset forsitan obscuritas rei explanandæ, auget potius, quàm auferret caliginem, id testimonium studuit addita expositionis explanatione differere. In quibusdam namque locis in expositione etiam testimonij, non solum verborum satisfactioem sibi posse sufficere judicavit, nisi alterius iterum deducti ad medium testimonij evidenti interpretatione, latius edoceret. Actumque est, ut hac occasione, sicut præfatus sum, veteris testamenti tota penè series occulta pateficeret: quæ divini nutus adspiratione referata, famis nostræ esuriem superni pabuli copia satiare. Hujus ergo rei ardenti nimis desiderio provocatus, quædam de eisdem testimoniis cæperam sub quadam brevitate decerpere, aliqua verò negligendo transire. Quod dum fieret, sicut conscientia mea mihi testis est, me nolente, atque hoc cautiùs providente, ne à quoquam aliquo modo nosceretur, per quosdam ad eisdem Apostolici notitiam Pontificis nostri usque pervenit. Qui me verbis S. Greg. Tom. III.

A mox, quibus Beatitudo vestra novit, suasoriis, atque ad superna trahentibus, hortando cæpit accendere, quatenus hoc quod neglectè cæperam, explere studiosus debuissim: ita ut & opus, & librum in quo testimonium positum legeretur, vel ex qua re ortum esset, in tituli ejus prænotatione designarem. Cujus rei pondus, mearumque virium impossibilitatem pensans, in ancipiti deprehensus, sicut nauta gravi fluctuum procella turbatus, ad orationum ejus portum, pavens, fateor, fidenisque confugi: sciens impossibile non fore, quod à tanto mihi præfule, ut res ad multorum ædificationem profutura fieret, juberetur. Moxque hoc imperantis suffragio provocatus adsumens, quo valui studio, veteris, ac novi testamenti in unum testimonia congesta collegi. Et jam non solum de beati Job' expositione, sed nec de aliis ejus opusculis quidquam curavi, sicut priùs facere cæperam, neglectum relinquere. Quædam dispersè sicut quippe reperta fuerant, in schedis suis relata transcurram, visum mihi est, licet esset laboris immodici, ut uniuscujusque rei testimonia, juxta quod in suis ex ordine sunt sita codicibus, per libros suos ordinando componerem. Quatenus studiosi lectoris desiderium, ad dilucidandam sibi quam velit obscuritatem, invento libri titulo quem requirere nihil moræ, vel ad parum, aliquo modo præpediret. Hoc autem lectorem hujus operis præ omnibus nosse commoneo, ut quia quædam testimonia diversis locis sita reperi, & in quibusdam etiam historica expositione perducta, quæ prædictis modis exposita comperi, ita & seorsum sequentia siquidem invicem translata compositi: in quibusdam verò locis, quia ita satisfactiois norma poscebat, hoc idem de eodem testimonio rerexi, quod dudum explanasse relegitur. Alicubi autem quædam quæ de eo minùs pridem dixerat, item repetita addens verba supplevi. Quod ego de jam dictis excerptis, idem testimonium ubi poposcit locus inferendum aptavi, quia res non erant, quæ separatim poni utiliter possent, dum ex præcedentibus, quæ dicta

fuerant, subsequentibusque penderent, si propter A novitatem parvæ rei, rursus dicta ponerentur, facerent etiam repetita fastidium proculdubio. Ne ergo expositionis, unde hæc excerpta sint, recurrens ordinem, plus in quibusdam hujus operis locis aliquid, quam in textu libri est positum minusve reperias, causæ fecit ratio, quam præmissi. Perpendens autem, quod si utriusque testamenti in unum vellem testimonia redacta colligere, & voluminis normam excederet, & legentis desiderium impediret, in tribus hoc voluminibus Domino est cooperante dispositum: ut duo veteris, tertium novi dicta conti-

neat. Quæ Beatitudini vestræ, non temeritatis ausu, sed amore vestri provocatus studij, quod in inquisitione divini olim fervet eloquij, sciens maximè in dictis prædicti Pontificis nostri quantâ noscendi vestræ sit aviditas mentis, ex multis voluminibus pauca componens, studui destinare, humili obsecrans prece, qua valeo, ut dum vobis, vel quisquis legerit, in hoc opere laboris mei cura placuerit, pro me ad Dominum intercessores esse dignentur: quatenus hoc pondere corruptionis exuto, à meorum absolutus inveniri merear vinculis peccatorum.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI GENESEOS.

- 1 **D**E creato calo, quod postmodum vocavit firmamentum.
- 2 Item unde supra.
- 3 Facta est lux, & paulo post: factum est vespere.
- 4 Protulit terra herbam virentem, & asferentem semen juxta genus suum.
- 5 Item unde supra.
- 6 Item unde supra.
- 7 Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.
- 8 Requievit Deus die septimo.
- 9 Item unde supra.
- 10 Ista sunt generationes cali, & terra quando creata sunt.
- 11 Quod quatuor fluminibus de paradiso egredientibus terra rigatur.
- 12 Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.
- 13 Quod ex latere Adam dormientis Eva processit.
- 14 Cur præcepit vobis Dominus Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?
- 15 In quacunque die comedetis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.
- 16 Item unde supra.
- 17 Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.
- 18 De consensu Ada in acceptione pomi.
- 19 Quod Adam post peccatum inobedientia pudenda contexit.
- 20 Cum audisset Adam vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem.
- 21 Vocavit Adam, & dixit, ubi es?
- 22 Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno: & comedi.
- 23 Item unde supra.
- 24 Pectore, & ventre repes.
- 25 Inimicitias ponam inter te, & mulierem.
- 26 Maledicta terra in opere tuo.
- 27 Terra es, & in terram ibis.
- 28 Collocavit ante paradisum veluti Cherubim, & flammæum gladium atque versatilem.
- 29 Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain autem, et ad munera ejus non respexit.
- 30 In foribus peccatum tuum aderit.
- 31 Si rectè offeras, rectè autem non divides, peccasti.
- 32 Quod Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem, quam condidit, appellat.
- 33 Item unde supra.
- 34 Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum quod hominem fecisset.
- 35 De arca diluvij quod ampla in inferioribus, angusta in superioribus fuit.
- 36 Item unde supra.
- 37 Sensus, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.
- 38 Crescite, et multiplicamini, et replete terram.
- 39 Arcum meum ponam in nubibus.
- 40 De Noë ebrietate.
- 41 Maledictus Chanaan puer, servus eris fratrum suorum.
- 42 Venite descendamus, & confundamus ibi linguas eorum.
- 43 De Abraham quod cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves expellit.
- 44 Quod Abraham tribus visis Angelis extra ostium occurrit, Sara verò post ostium substitit.
- 45 De tribus viris Sodomam pergentibus.
- 46 Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus est.
- 47 Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis.
- 48 Vim faciebant Loth vehementissimè.
- 49 Loth ardentem Sodomam fugiens, sed tantum Segor veniens, nequaquam mox montana conscendit.
- 50 Dominus pluit super Sodomam sulfur & ignem.